



E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii directore


a. 1857 hereditate relictis.

C. q. 14.

174
1597-1747


Ad loc. Sibyllae Erythraea p. Drumpff, Wittenberg 1713 praef. Witten
 De Glossariorum graec. indole & usu p. Krafft 1742. Lpz.
 Oratio aditialis p. Krafft 42 Lpz.
 De Dionysio Siciliae tyranno dissert. dua. Roloff, Jan. & Maj. 36. Gall.
 De ratione auct. class. tractandi gymnasticae Langer. Wittenberg 39.
 De longevitate antediluvianorum. Grogendorf admodum (gratis) Gall. 41.
 De Accisma. (simulata reculatione ej. p. max. cupinus) Kayritz. praef. Barth, Jena 1703.
 De iurisprudencia vet. Romanorum formularia. Heineccii orat. adit. Franeker, 1724.
 Item ex antiquitate sacra representatum prop. Jahn. Wittenberg 43.
 Orman de usu amnestiae ap. Germanos. Lpz. 40.
 Catastra servorum illust. Golling & Haas. Altp. 30.
 De Ate. Ruffus Wittenberg 43.
 Ethica Solonis Salaminii. v. d. Giffel, Gall. 1699. praef. Buddes.
 — Pericandri Corinthii v. d. Höfner - Elinapld. f. 99. Budd.
 — Cleobuli Lindii v. d. Giffel (H. W.) f. 99. Budd.
 — Chilonis Laed. v. d. Giffel (E. f.) " " "
 De Chitone & Meteorismo logico theses. Walfra. Magdeb. 1717.
 Ethica Biantis Prienci v. d. Höfner Elinapld. f. 99. Budd.
 Quod Hercules idem sit ac Iosua Gerdilich & Wolff. Lpz. 1706.
 De avodu f. adfensu hominis in deum Pythagorico Wagnen, Gall. pr. Sefuiedm 1710.
 De furti apud Lacones licentia Gribner & Ludovig. Lpz. 1705.
 De lectione fontium curforia. Zibbajow & Jacob. Jena 1699.
 De obsequio maritali Büttner. Jena pr. v. Longfor. 1741.
 De Dracone ad Athinam. Jahn, Lpz. 1707.
 De Alexandro Magno Tyranno. Lindgau & Mungel. Lpz. 05.
 De igne Gentilium sacro p. Rörger. Lpz. 1718 pr. Gofu.
 Nipes Samsonis Symbolum. Matthaus. praef. Prung. Wittenberg. 1724.
 Phereclaus " " Mass - pr. Matthaus " "
 De historicorum antiquorum concionibus civilibus. Nargen & Zoller. Lpz. 42.
 De conata eruditionis in 4 facult. divisione Dier. Wittenberg 30. pr. Dier.

- Ad loc. Sibyllae Erythraea pp. Dreyffus, Wilmberg 1713 praef. Wieders
 De Glossariis graeco, indole & usu pp. Krauspi 1742. Ezz.
 Oratio aditialis p. Goussii 42 Ezz.
 De Dionysii Siciliae tyrannis dissert. dua. Coloff. Jan & Maj. 36. Gall.
 De ratione auct. class. tractandi gymnasticae Lanyos. Wilmberg 39.
 De longevitate antediluvianorum, Goussaudor & Dornier (gratull.) Gall. 41.
 De Accisma. (simulata reculatione ej. p. max. cupinus) Kaypiz. praef. Goussii, Jena 1703.
 De jurisprudentia vet. h. norum formularia. Heinccii orat. adit. Franquer, 1724.
 Item ex antiquitate sacra representatum prop. Jaju. Wilmberg 43.
 Goussian de usu amplexu ap. Germanos. Ezz. 40.
 Catastrorum servorum illustr. Golling & Haas. Alff. 30.
 De Ate. Ruffus Wilmberg 43.
 Ethica Solonis Salaminii. v. D. Goussii, Gall. 1699. praef. Buddes.
 — Pericandri Corinthii v. Höfner. Elinfeld. J. 99. Budd.
 — Cleobuli Lindii v. D. Goussii (H. W.) J. 99. Budd.
 — Chilonis Laed. v. D. Goussii (E. J.) " " "
 De Chitone & Meteorismo logico theses. Waldfr. Magdeb. 1717.
 Ethica Biantis Prienci v. Höfner Elinfeld. J. 99. Budd.
 Quod Hercules idem sit ac Josua Goussii & Wolff. Ezz. 1706.
 De avodw f. ad sensu hominis in deum Pythagorico Wagner, Gall. pr. Dreyffus 1710.
 De furti apud Lacones licentia Goussii & Lüdowig. Ezz. 1705.
 De lectione fontium cursoria, Ruffus & Jacob. Jena 1699.
 De obsequio maritali Buddus. Jena pr. & Luffor. 1741.
 De Dracone ad Athinam. Jauel. Ezz. 1707.
 De Alexandro Magno Tyranno. Goussii & Mungl. Ezz. 06.
 De igne gentiliis sacro p. Rängel. Ezz. 1718 pr. Josu.
 Nipus Samsonis Symbolum. Mattheus. praef. Rung. Wilmberg. 1724.
 Phereclaus " " Mass - pr. Mattheus " "
 De historicorum antiquorum concionibus civilibus. Nanger & Goller. Ezz. 42.
 De non adaequata expeditionis in 4 facult. divisione Dreyff. Wilmberg 30. pr. Dreyffus.
 De vitis quibus schola impar p. Janus (orat. ausp. mun.) Pongau 1712.
 De bibliotheca studiosorum portatili. Albruff & Dal. Ezz. 1705.
 De usu graeca linguae. Luffor & Lindor. Ezz. 1706.
 Drama oratorium de Hercule in Bivio constituto (Quedvigi representat) p. "Oeconomia"
 praemiss. dissert. de polytheismo gentiliis, invict. Goussii 1677.
 De fontibus biblicis Goussii. Wilmberg 1698. praef. Dreyffus.
 Paradoxum grammaticum de ignorantia eruditorum p. Riemann. Gall. pr. J. ad.
 De Coloffis. Ruffus & Goussii, Gall. 1699.
 De iure Colofforum. " & Dreyffus " "
 Promissio critica de iis quae in Cic. opp. a doctis ignorantur. Riemann. Gall. pr. J. a.
 Theses variae resp. Barthele. adol. Panalis. Hal. 1735. praef. Joach. Lange



Tr
Pro
de
de
pon
de
di
de
de





56

Q. D. B. V.
DE
LECTIONE FONTIUM
ut vulgo appellatur
CURSORIA
benevolo superiorum consensu

PRÆSES
M. JOH. TRIBBECHOV,
ET RESPONDENS
FRIDERICUS HENR. JACOBS,
Gothani,
publice disputabunt

d. III. Jan. M DC XCIX.

I E N Æ,
Typis MULLERIANIS.

191

LECTIO NE FONTINUM
CURSORIA

peruvolo. superiorum contentu
P R A E S E
M. JOH. TRIBBECHOV.
ET RESPONDENS
FRIDERICIS HENR. JACOBS

Gothani
publice disputavit
d. III. Jan. MDCXCIX.
F. N. E.
Typis MILLERIANIS.





I. N. J.

De

Lectione Fontium Cursoria.

THES. I.



Duplex Bibliorum datur lectio: (a) *Publica*, quæ non modo in Ecclesia Judaica sed (b) *Christiana* etiam semper obtinuit: Et *privata*, quæ inter privatos parietes ab uno pluribusve suscipitur, de qua nos potissimum (c) scopo nostro convenienter agimus.

Note.

(a) Hæc est illa *divaywais* Mosis & Prophetarum, ab antiquissimis temporibus tradita & recepta. Actor. XV. 21. qua scilicet Parascham, sive sectionem (qua ratione tota lex in LIV. פרשיות est divisa) e lege stando (Megil. C. 3.) perlegunt, & unamquamque in septem communiter lectiones

A 2

divi-

dividunt, ad quas legendas viri septem suis evocati nominibus advocantur. *Buxt. Syn. Jun. C. XVI.* Lectioni legis finitæ subjungunt הפטרה sectionem quandam Propheticam, de qua *Piske שרא* in *Megil. Art. XXII.* *Legens in Propheta non legat minus quam versiculos viginti unum*, quod tamen non stricte semper observatum videmus in *Massechet Sopherim C. XXII.* *Si fuerit sabbatho interpret vel concio, legunt in Propheta versiculos tres aut quinque aut septem, & non sunt solliciti de versiculis viginti uno.* Quem morem & Christum servasse, seque obtulisse (ut *Lightfootus* quidem existimat) pro *Maphtir*, (qui non semper legit *Parascham* sed quandoque *Haphtaram*) quamvis ab *Archi-Synagogo* non designatus, sed approbatus, cum ipse vel alii hoc vellent, videatur; id patet ex *Luc. IV. 16.* conf. *Act. XIII. 15. 27.*

(b) Christianos tempore N. T. piam fructuosamque hanc legendi consuetudinem minime abrogasse (Christianismus enim antiquis ritibus iisque bonis non est inimicus, sed servat potius eos, corrigit, emendat ac in meliorem reducit statum) cum ex ipsius Christi *Luc. IV. 16.* Apostolorumque exemplo, tum imprimis ex mandato Pauli, *πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει* 1. *Tim. IV. 13.* 1. *Thess. V. 27.* *Col. IV. 16.* constabit, consentientibus ad id Patribus, *Clemente* qui *L. II. Constitut. Apost. C. 57.* *In medio, inquit, lector ex loco edito legat libros Moysis, deinde acta nostra legantur, item Epistola Pauli.* -- Postea *Diaconus aut Presbyter Evangelia legat;* Nec non *Justino Apol. II.* *Die qui solis dicitur omnes, qui in oppidis & agris morantur, unum in locum conveniant, Commentariaque Apostolorum vel Prophetarum scripta leguntur, quamdiu hora patitur.* *Clementis* quoque *Epistolam veteri instituto in Ecclesiis legi solitam* testatur *Eusebius L. IV. Hist. Eccl. C. 22.* ubi *Epistola Dionysii Corinthii ad Soterum Pap.* recenset. Uberius hæc tractata vide in *Duranti L. II. C. 18. de ritibus Ecclesie Catholicæ.* Vestigia istius antiqui ritus apud nos deprehendimus

in iis praesertim Ecclesiis, ubi semper ante sermonem sacrum
Caput quoddam Biblicum perpetuo ordine legitur.

(c) Dupliciter tractatio hujus operis institui potest,
Theologice, ut ostendatur facilis ad lectionem & simplicem
totius scripturae cognitionem cum perpetua applicatione con-
junctam perveniendi methodus & via; sed hoc facere in praesentiarum nobis non datur: vel *Philologice*, qua ratione Theo-
logiae imprimis addictus, reliquis linguarum amatoribus haud
exceptis, Biblia Sacra in fontibus legere ac tractare debeat,
ut notitiam inde sibi adeo utilem ac in omni studio Theologico
necessariam assequatur.

II.

(d) **CURSORIA** vulgo appellatur **LECTIO**,
illa sacrarum litterarum tractatio, qua (e) omnes
V. & N. T. libros festinanter & cursim perlegimus,
& quidem eum in finem, ut brevi tempore (f) histo-
ricam simplicemque rerum & verborum notitiam no-
bis comparemus, & hoc pacto ad (g) futuram accu-
ratiorem, nec non pleniorum & uberiorum rerum
divinarum cognitionem preparemur.

(d) Hujus generis non est ista lectio, qua obiter & per-
functorie saltem sacrarum litterarum studium tractamus, hodie
unum, cras alterum caput legimus, nunc in Novo, alio tem-
pore in Veteri Testamento versamur. Illa, de qua hic agimus
CURSORIA LECTIO suo etiam modo accurata sit oportet,
Studiosissime, & cum quadam animi contentione, qualis esse
solet eorum, qui in magnarum & arduarum rerum apparatus
versantur. Desultoria levitas hic procul sit? Absit ab hoc
studio animus vel varietate aliorum negotiorum oppressus, vel
distractus curis alienis! Cogitatio omnis, & quancumque
capax homo est animi conatus omnis rotusque hic ita dirigen-
tus est, ut singulis diebus totus aliquis sacri codicis liber evol-

vatur, vel plures, si breviores sint, longiores etiam, quam ut uno die commode absolvi possint, intervallo tamen bidui vel tridui non extrahantur.

(e) Nec omittendus unus liber est. Neque enim simplex & rudis hæc litterarum sacrarum cognitio manca & mutila sit. A capite ad calcem perlegendus est totus codex, ne apocryphis quidem exceptis.

(f) Sterilis & infructuosa videri poterat hæc opera, ad corticem saltem sive litteram & historiam, hoc quicquid est studij & laboris pertinere putes. At vero qui isto pacto rem aggreditur, superato exiguo labore, experietur, quam recte divinarum litterarum studiis consuluerit, quantumque adjuvmentum afferat ad comparandam promptam & expeditam cum intelligendi tum explicandi divina oracula facultatem lectio ista historica & simplex.

(g) Sicut in omnibus scientiis naturalibus facilius percipiendis generalis quædam totius rei cognitio præcedere debet specialem: Sic etiam in hoc sacro Biblici studij genere summam rerum, quas Sacer Codex exhibet, beneficio CURSORIÆ istius lectionis representate nobis debemus, antequam de sensu & interpretatione quorumvis dictorum simus solliciti; ut adeo totum hoc negotium commode comparari queat cum tabulatis phalisque circa domum extruendam positis.

III.

Multum hic præstabit, si saluberrimum, quod B. Franzius olim dedit consilium (*de modo legendi scripturas,*) observaveris. Tot scil. una vice perlegenda esse (h) capita, quot de (i) una materia congruere conspexerimus.

(h) E.g. *Quinque priora capita Geneseos de historia ante diluviana simul & semel fructuose absolventur, ut & sequentia sex de historia postdiluviana usque ad Abraham: Similiter*

Militer quatuordecim consequentia utiliter conjungentur, aut in biduum unum dividuntur de historia Abraham: duo copulabuntur alia de Isaac: Iterum quatuor alia connectentur de Jacobo peregrinante; Septem alia de Jacobo reverso in patriam: Octo alia de historia Josephi: Reliqua de morte & sepultura Jacobo Patriarche. Huc usque Franzius. Ita etiam in Novo Testamento, e. gr. in Matthæo duo priora Capita de nativitate Christi ejusque circumstantiis variis, tertium & quartum de ministerio Johannis & initio muneris Christi Prophetici, quintum, sextum & septimum de unica concione montana singulis vicibus conjungi optime possunt, nec non tota historia passionis in omnibus Evangelistis, præcipue vero Cap. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. in Johanne, quæ certe arctissimam inter se habent connexionem.

(i) Rationem hujus consilii ipse reddit Franzius de modo legendi S. Biblia, quod scilicet *hac ratione unius Historiæ integræ integræ congeriem coherentiamque & ex illa factorum ac dictorum consequentium causas ex antecedentibus contextibus ipsis, adeoque ex verbis ipsis Spiritus Sancti citra Interpretis aut Commentatoris admonitionem odorari, videre, palpate & demonstrare paulatim discat homo pius. Ex coherentia enim contextuum lector asvescet venari ex ipsis verbis Spiritus S. aliis aliorum verborum genuinos sensus &c. Contrarium vero, siue quanta ex distinctione mala fluant incommoda & impedimenta, vel unicum hoc exemplum, nempe cap. vigesimum Matthæi distinctum a capite decimo nono, quocum arctissime tamen coheret, si conferas Matth. XIX. v. 30. & XX. 26. luculenter satis probabit: Ut nihil jam dicam de distinctionibus in commata & versus non semel aut raro vitiosis. De quibus conf. Heins. Exercit. s. p. 551. 552.*

IV.

Primo quidem lectio isthæc ab omnibus præcipue vero a Theologiæ deditis in lingua (k) vernacula

macula tractari debet; idque, si duces contingunt
(l) tenera adhuc ætate: deinde in aliis etiam linguis,
quæ hunc in finem mature prius addiscendæ sunt.
Atque de hac posteriore imprimis agere nobis est
animus.

(k) Rationem reddit *Franzius* de modo legendi *Sacra
Biblia* sequentibus verbis: *Quia nullam linguam melius &
altius intelligit homo, quam eam, qua quotidie & in momenta
singula utitur. Idcirco ad venandas contextuum coherencias,
quæ erunt fons unus felicissimus, ad hauriendas veras sententias
omnium obscurorum & difficilium locorum unice proderit con-
textus in idiomate sibi notissimo & sibi tritissimo sibi que facillimo
spectare legere & judicare.*

(l) Vis enim memoriæ tunc temporis est florida, unde
omnia, quæ intra sese recipit tenacissime & diutissime opti-
meque retinet. Præterea quibus quæso aliis rebus recentes
loculi memoriales implendi essent, quam sanctissimis Dei ora-
culis, quæ per totam deinde ætatem impressa pietatis vestigia
in teneris pectoribus relinquunt? vid. *Franz.* c. 1.

V.

Linguae istæ, in quibus legenda sunt *Biblia*, vel
sunt (m) *fundamentales* & maxime necessariae, velut
omnium (n) præstantissima *Hebræa* & *Græca*, in qui-
bus dictante *Spiritu* oracula divina (o) primum
consignata sunt, vel *non fundamentales* & utiles
tantum.

(m) Merito audiunt *fundamentales*, quod ex illis
proprie certus ac genuinus litterarum sacrarum peti debet
sensus. Ab omnibus enim versionibus ultimo provocamus
ad textum originale, ex quo solo variæ interpretum sen-
tentiae dijudicandæ sunt.

(n) De

(n) De laudibus Hebraeae linguae ejus utilitate ac necessitate plura legere qui avert, ille adeat *Constant. L'Empereur Orat. Inaug.* quam ea de re habuit Lugduni 1627.

(o) Quaestionem de Evangelio Matthaei & si vis Epistola ad Hebraeos Hebraice, vel Syriace conscripta ventilare jam non est animus; Dudum id alii egerunt. vid. Walt. Proleg. XIII. §. 14. De reliquis sane scriptis N. T. constat, ea Graece a sanctis viris fuisse consignata.

VI.

Linguae non fundamentales, quae multum tamen conferunt ad Scripturae intelligentiam, sunt iterum vel *Orientalis*, (p) Chaldaea (q) Syriaca (r) Rabbinica, (s) Arabica, (t) Samaritana, &c. vel *Occidentales*, Hollandica, Anglica, Gallica &c. quarum istae ob magnam cum matre sua (scil. Hebraea lingua) affinitatem, haec propter insignes & perspicuas versiones merito commendandae & addiscendae sunt.

(p) Tres validas rationes pro Chaldaea lingua adducit *Hottingerus de Transl. Bibl. in ling. vernaculas* (1) voces obscuras ἀπαξ ἢ σπανίως λεγόμενας beneficio illorum interpretationum explicamus (2) versionum vitia asserta authentica originalis contextus autoritate castigamus (3) Messiae adventum, officium, conditionem, &c. contra pertinaces Iudaeos defendimus. Quibus addi posset (4) quod commodae saepe expressiones, perspicuae rerum explicationes cogitationesque ibi rarae nonnunquam reperiantur. Exempli loco sit. Gen. II. 7. 9. 24. C. III. 1. 5. 15.

(q) Magna sane etiam Syriacae linguae est utilitas propterea, quod versio Syriaca V. & N. Testamenti non modo est antiquissima, sed satis etiam accurata, quippe quae Idiotismos Hebraeae linguae pressius, quam aliae versiones, Chaldaea

B

excepta



excepta, exprimit. Ex. gr. Gen I. 2. C. II 7. Maximus vero
ejus linguæ usus est in N. T. cum propter plurimas voces Sy-
riacas, tum ob perspicuam interpretationem ex qua clarus in
dubiiis locis peti potest sensus *Walt. proleg. XIII.*

(2) Multam etiam Arabica lingua lucem Hebrææ fa-
ceratur, siquidem multæ radices in ea deperditæ ibi inve-
niuntur, raræ etiam voces in sacro codice passim occurren-
tes ex Arabismo sæpius interpretandæ. Plures in ritibus &
ceremoniis antiquis nec non in Theologia usus adduxit *Wal-
tanus proleg. XIV.*

(3) Nec parum etiam præstabit, nosse Pentatevchum
Samaritanum, non ideo tantum, quod Hebraicum textum
hinc inde illustrat, sed quod Iudæorum commenta & deli-
ria refutari possint, siquidem nulla mysteria, quæ quærunt
Iudæi in litteris & verbis quibusdam, ibi apparent. *vid. Walt.
proleg. X.*

(4) Etsi enim multis fabulis ac traditionibus Allego-
ricas suas Commentationes Rabbinæ conspurcent, circa littera-
lem tamen sensum tantum abest ut negligendi sint, ut plerique
nostratum eos sæpiissime sint secuti.

VII.
Ad lectionem Sacri Codicis accedere qui velit
non totos annos Grammaticæ impendat necesse est,
sed (u) primis principiis, seu elementis Hebrææ alia-
rumque linguarum imbutum esse sufficit.

(u) Quæ juveni, incepturo Biblia Sacra in fontibus
tractare, prorsus necessaria sunt, vel paucissimis horis addisci
possunt: speciales enim anomalix, quarum multitudo & diffi-
cilitas, ut videtur, cognitio plerumque deterret juvenes, ipso usu
quod otidiano, qui optimus semper magister est habendus, feli-
cissime observantur. Egregie hac de re *Dilherrus in prefat.
ad Eclog. S. N. T.* disserit: *Tricas istas, quas nonnulli operose
accumulant, putamina accurate contemplantur, sed nunquam
fran-*

frangentes, ut nucleum comedant, ac tantum non vita sua tabernaculum in *παρὰ τῶν* collocantes, non estimamus: sed mediocri Grammatices cognitione imbutos ad sacrorum lectionem adducimus. Placent enim & placebunt perpetuo, quae solertes linguae sacrae doctores quasi senatus consulta statuunt sequenda. I. Ufu discas linguam. II. Ufus praesupponat theoriam & praceptorum cognitionem. III. Praecepta sint pauca, usus vero maximus. Quousque vero progrediatur praceptorum cognitio tyronibus necessaria, illud optime Excellentiss. Prof. ac Praeceptor noster Danzius in *praef. ad Manud. Ebr. linguae* expressit, scilicet: *nuda verborum perfectorum nominumque formatione acquiescit (tyro) post accuratam conjugationum thematicumque a se invicem discretionem.*

VIII.

Post percepta prima rudimenta ad ipsam statim (x) lectionem ducantur juvenes, non ut (y) quatuor saltem Capita Geneseos, nec (z) integrum etiam librum, sed (aa) totum codicem a capite ad calcem perductores huic negotio arduo aptos indefessa quadam industria pertractent.

(x) Non consultum videtur tamdiu juvenes in analysi quorundam Capitum detinere, multo satius, ut continua expositione copiam vocabulorum prius acquirant, ut Textum ipsum, & occurrentes Idiotismos toties legant ac repetant, quam magna difficultate, cum res illis ignotae & obscurae sunt, memoriae mandent.

(y) Bonum quidem est consilium, a tyronibus Hebraeae linguae IV. vel V. priora Capita Geneseos, Graecae octo priora Matthaei sedulo tractanda, & quasi addiscenda esse: multa enim, vel plura etiam vocabula, V. & N. T. ibi reperiri. Ac verum omnino est, illa capita cum praevia, de qua Observ. V. diximus, Grammatica institutione, utilissime posse conjungi:



Enimvero, qui finita illa opera se multum percepisse suoque velut officio satisfecisse existimat, is longe fallitur, majora supersunt, quod ni credideris, periculum modo fac in aliis locis, certe tam multa tibi ignota erunt, quantum ne credidisses quidem.

(z) Certe nec liber sufficit, praesertim historicus (tyroni vero alius commendari haud debet) Tot enim vocabula semel vel raro occurrentia, tot obscura & abrupta locutiones in Prophetis & libris metricis inveniuntur, ut, eo si veneris, vix totum te legisse librum sentias. Ut miranda foret illorum vana opinio, qui, si voces quasdam resolvere & nonnulla exponere Capita didicerunt, eo delabuntur, ut, quantum ipsi quidem opus haberent, se nunc hausisse credant, sed falso. Inspicientibus enim alios textus, tot subito difficultates obveniunt, ut fere nusquam possint progredi.

(aa) Totus omnino Codex ita est pertractandus, ut quavis occasione ad eum sine mora recurrere eum statim exponere, eoque quasi vernaculo uti possimus. Quod nunquam fiet si resolutione quorundam Capitulorum, aut libri cujusdam contentus esse volueris. Totius codicis diligentissima ad id requiritur tractatio. Neque aliud magis necessarium sibi negotium datum esse crederent Theologiae addicti, quam ut Hebraeam veteris, Graecam N. Testamenti linguam sibi valde redderent familiarem, nec illorum quisquam de se prius conquiesceret, quam talem, tam utilem, tam necessariam sibi notitiam fuisset assecutus.

IX.

Media ad hoc non levissimum opus quam maxime necessaria sunt praeter ipsam codicem Ebraeam, quo quisque instructus sit oportet, viva (bb) docentis vox, quae hunc laborem (cc) faciliorem jucundiorumque omnino reddit; si quidem docens scopo suo intentus

intentus omnibus (dd) divagandi occasionibus neglectis strenue pergat, pluresque per diem horas prælectionibus tribuat.

(bb) Etsi enim tyro optimam etiam versionem habeat: non tamen poterit non circa Phrases, voces, ac sensus ex genio linguæ pendentibus quam sapissime hæere ac dubitare, ut proinde nil magis necessarium ipsi sit, quam sincerus ac fidelis Præceptor, qui glaciem ipsi frangat.

(cc) Bis tanto levior fit hæc opera, siquidem nihil præter repetitionem, quæ eo majori cura ac studio facienda est, tyronibus relinquatur. Conducit vero statim post ipsam prælectionis horam domi rursus eadem, quæ explicari audivimus, relegere, & quæ sparsim occasione hujus vel illius vocis adjecta vel monita fuere, prius repetere, quam alia objecta, aliæ ideæ, quæ conceptus ac memoriæ vim distrahere possint ac disturbare, interveniant.

(dd) Omnia examinare ac demonstrare incipientibus non consultum, aliorum vero sententias refutare forsitan inutile foret: longe vero melius, longe utilius erit, exponere Textum perspicue, atque optima sententia allate breviter explicare, adjectis subinde brevibus notis ac parallelis.

X.

Deficiente autem fideli quodam doctore, adhibenda est bona versio, velut Ariæ Montani, Tremellii, Schmidii, &c. una cum Lexico Buxtorffii, Ravii, Cocceji aliisque probati Autoris, se positus interima (cc) commentariis, ac singulis diebus, quoticumque absolvere potest Capita, legat, exponat repetatque, quantum fieri potest industria & assiduitate, nec antea desistat, quam totum codicem pertractarit.

(ee) Tyronibus enim Commentarii non conducunt ex hac causa, quod nondum facultate iudicandi polleant, sed omnibus, quæ specie quadam proferuntur, sese addicant sententiis. Tum tempus nimium extrahitur, quod majori utilitate legendo codici impendere debebant. Tandem potior eorum cura circa voces, quam res intelligendas exprimendasque versatur cui quoque instituto bona versio sufficere potest.

XI.

Hic vero necessaria quædam cautio est adhibenda, ne scilicet ab initio statim (ff) difficilis nimium ac impedita fiat lectio, quod illis plerumque accidit, qui vel omnia statim intelligere, vel (gg) resolvere evolvereque volunt omnia: Tenendum hoc potius, quod sensim sensimque accedat major lux & (hh) assidua perpetuaque tractatione eadem voces sapius verborumque anomalorum radices occurrant.

(ff) Commune sane hoc & proprium adolescentum vitium esse solet, quod ingenti primum ardore ad opus accedant, omnia velut uno impetu exhausturi: Unde se ipsos, ediscendo multa vocabula variosque autores evolvendo, excruciant ac defatigant. Ulterius vero progredientes & sentientes magnas oboriri difficultates, mox remittunt, ac paulatim fiunt languidiores. Hinc utique, ut supra dictum, consultum, fideli uti præceptore, qui viam nobis monstraret. Quod si vero eo es destitutus, ac proprio Marte aggredi cogis hunc laborem, consilium hoc ne spernas: Alacri quidem, sed constanti & laboris patiente animo negotium suscipe; Si difficilem in fronte laborem sentis, ne te crucies aut in singulis hæreas, perge modo strenue quamvis multa non intelligas; Quæ vero præ cæteris gravia videntur, levi quodam signo

figno tibi nota, & vel alio tempore, quando animum sentis
ferenum, redi ac tenta, num acumine tui ipsius ingenii pene-
trare valeas, vel sin etiam hoc non successerit, futura occasio-
ni, quam cum linguarum peritis agendi habueris, reserva.

(gg) Non pigebit huc transtulisse Excellentiss. Prof.
Franckii verba, quibus præposterum hoc in tyronibus studium
meliori allato consilio improbat. Ea vero ex Manud. ejus
ad lect. Scripturæ Sacræ Cap. ii. sic habent: *E lexico investi-
gare significationem vocum tyronibus non suaserim; multum
enim temporis frustra consumunt, & grammatica non ex asse-
gnarus, non semper quod querit nisi operose inveniet, nisi supra
allegato D. Opitii Lexico sine tanta temporis operaque jactura
fortassis utatur. Præstat igitur vel ad manus habere Biblia,
quæ in margine indicant radices, qualia Aræ Montani, vel in
chartam, quæ ignoramus conjicere, ut ex viva præceptoris voce
accipiamus.*

(hh) Hic non dicto, sed facto opus est. Respondendum
curiose omnia sciscitantibus: veni & vide. Interea creden-
dum est expertis, quod hac via si incedatur, omnis quidem
difficultas sub manibus expiret. Fac autem, multa ex hac
prima lectione remanere obscura & difficilia, quid tum? Re-
stat secunda & tertia lectio, (de qua inferius,) sub qua omnia
sunt leviora, & faciliora.

XII.

Ad faciliorem reddendam hanc lectionem me-
moriamque debilem sublevandam (vi) initio præfer-
re præstat hinc inde voces (kk) superscribere, paulo
difficiliores. Voces vero (ll) semel aut raro occur-
rentes per totum codicem notanda sunt.

(ii) Tunc sane quam maxime est necessarium ob in-
gentem, qua laboramus, vocum inopiam; Nec enim fieri
potest, ut omne illas voces, quas docens una vel duabus etiam
vicibus expresserit, statim retineamus: quare memoria sic-
curreti-

currendum, notando, quæ paulo videntur graviora, alendus-
que est primus ardor, ne in limine deprehensis tantis difficul-
tatibus animum nostrum abjiciamus.

(kk) At objiciat quis: Hac ratione totus codex macu-
landus, imo perdendus est: cui respondemus: Propterea non
totum quidem codicem necessario esse corrumpendum, quanti-
vis ditioribus, qui sibi facile nova comparare possunt Biblia,
id suadendum sit, ut codici suo non parcant, certo persuasi
jacturam istam qualemcunque commodo non exiguo com-
pensatum iri, quippe longe faciliore quam alii via ad scopum
suum pervenient. Cæterum, qui primum codicem retinere
malunt, aut novum sibi emere haut queunt inopia rerum
pressi, subtilius modo ac mundius exarent, firmiter persuasi,
quo longius proveci fuerint, eo rariorem fore scripturam,
eadem quippe vocabula toties iterum occurrunt, ut stupidus
sit, qui eas non retinuerit.

(ll) Quis enim memoria complectetur tam multas
graves ac peregrinas sæpe voces per totum codicem? Sed
fac, eas ad tempus retineri; Quis uno vel pluribus annis
elapsis, te illas adhuc scire crediderit? Certe magnum in
repetitione adminiculum est notasse paulo graviora, quoniam
multa evolutione Lexicorum, & versionum collatione super-
sedebimus, cum neglecto contra hoc consilio nobis hæren-
dum dubitandumque sit quam sæpissime.

XIII.

Quod in omnibus linguis feliciter addiscendis
velut præstantissimum medium coli & observari de-
bet, id præcipue in Hebræa, aliisque O. O. linguis
strenue est exequendum: scilicet (mm) tota quadam ac
integra temporis pars (sex vel octo septimanarum,)
uni linguæ destinandæ sunt, cæteris tantisper vel sepo-
sitis, vel perfunctorie tractatis, donec habitum quen-
dam

dam adepti in ista lingua, velut in domo nostra versemur.

(*mm*) Nos tantum temporis & annorum, quos multi præ pudore nominare vix audent, in Latina, Græca atque in ea etiam, de qua nunc agimus, Hebræa aliisque linguis addiscendis terere, non aliunde est, quam quod omnia simul tractantes, diversa semper studia conjungamus, quibus tamen simul capiendis ingenium nostrum haud sufficit. Unde fit, ut nulli studiorum parti totum temporis tractum vendicantes, *in omnibus aliquid in toto nihil* agamus. Ex quibus haud difficile est judicare, quantos sibi profectus polliceri debeant, qui tria aut plura etiam collegia, eaque plane diversa, ut, Theologicum, Historicum, Homileticum præter collegium linguarum juxta visitant, non satis reputantes, ideas varietate rerum perpetuo distractas nunquam fugi ac firmari posse in una re solide apprehendenda investigandaque accuratius.

XIV.

(*mm*) Primi anni Academici hisce studiis consecrandi sunt, non modo quod memoria, crescente judicio, indies fit debilior, sed ideo maxime, quod (*oo*) unicum fundamentum, solidum Theologiæ præstant.

(*mm*) Quum in scholis inferioribus linguæ Latinæ & Græcæ addiscendæ aliisque humanioribus cognoscendis, omne fere tempus definitum sit: ideo prima cura, primus iste in Academicis labor esse debet, ut linguas istas ad studium Theologicum adeo necessarias omni studio addiscamus. Laudatur hinc suo merito ista Belgicarum Academiarum consuetudo, qua nemo ad lectiones Theologicas audiendas admittitur, nisi testimonio publice docentis has linguas Theologo probaverit, scilicet habilem jam fore scripturæ in fontibus intelligendæ. Videatur hac de re *Sixtin. Am. Parenesis ad status Holland.*

C

(*oo*) Quo-

(oo) Quomodo enim ille, qui destitutus est hisce linguarum subsidiis, cum fructu theses Theologicas audiet explicari? quomodo nervum rerum probandarum satis capiet, qui linguam, qua locutus est spiritus Dei, non intelligit?

XV.

Finito semel codice (pp) denuo statim aggrediaris eandem lectionem. longe (qq) breviori quam antea temporis spatio absolvendam.

(pp) Semel perlegisse codicem non sufficit, sed secunda etiam vice repetendus est, tunc demum firmum tibi acquires habitum, ut prompte ubique locorum exponere textum, sensimque eo quasi vernaculo uti possis. Quod supra allegatus Excell. Prof. Franckius in Manud. c. II. hisce confirmat verbis: *Lectus in codex V. T. quod a quibusdam trimestri spatio factum memini, repeti non adeo magno temporis spatio majori cum fructu potest. Id quod omnino necessarium est, ne prima lectionis fructus pereat. Hic autem conjungi potest scrutinium idlotismi.*

(qq) Si rotum diem impenderit, prima lectio trimestri, secunda sex hebdomadarum spatio absolvi poterit: sin dimidium, ista semestre, hæc vero lectio trimestre postulat.

XVI.

Post lectionem cursoriam bis terue institutam, (rr) accuratior quædam tractatio codicis suscipienda est, adhibitis non modo Christianorum sed & Rabbino-
 norum (ss) commentariis præsertim in (tt) locis difficilioribus intelligendis.

(rr) Hinc merito locum habet illud: *γνώσεις & ἀναγνώσεις. Act. VIII. 30.* In lectione cursoria ad verba magis quam res, ad sensum litteræ potius quam litteralem attentum sumus, quæ omnia non nisi viam sternunt ad majora quæ restant.

restant. Quare ista ad finem perducta, sensus dictorum, adhibita Hermeneutica, accuratius indagandus est, nervus rerum eruendus, omnium verborum Emphases attendenda ac singula examinanda sunt. Qui finis primi istius laboris nisi acquiritur, omnem frustra susceptam operam videbis.

(ii) Suam hic locum nempe in Museo, nec non in Cathedra Academica inveniunt Commentarii, quamvis cautio omnino adhibenda sit, ne statim ad eos si dilabamur, alienarum opinionum stamus mancipia: suo prius Marte tentandus est iste labor, ut discamus, quid valeant humeri, quid ferre recipient.

(iii) Recte Curtius: *Fruges quoque maturitatem statuto tempore expectant; adeo etiam illa sensus omnis expertis sua lege mitescunt.* Sic sano res se habet hoc in studio, praesertim quod ad difficilia scripturae loca attinet. Vix uno tempore omnes superabis difficultates, sed dies docebit diem, ac res, atas, usus semper aliquid portabit novi, ut illa, quae te scire credis, fere nescias, & quae tibi putaris prima, in inquirendo ut repudies.

XVII.

Lectionis Bibliorum cursoria usus est multiplex, cum in ipso linguarum studio, tum in omni parte Theologiae. (i) Linguarum enim studium lectio ista reddit facilissimum, nec ulla (ii) melior aut probatior reperiri potest methodus.

(iii) *Totum lingua studium practicum quid est,* recte inquit Comenius in methode linguarum novissima, c. 13. n. 12. Quo crebrior itaque praxis est, eo solidiores facit progressus. Videmus in latina aliisque linguis, quod multa lectione autorum, non vero Grammatica operose ediscenda, optime proficiant juvenes, quidni ergo in Hebraea? Egregia sane verba sunt, quae Trostius in Praefat. ad Grammaticam Hebraeam

habet: Non est, quod institutionis & linguae difficultatem hic mihi objicias - - Accedat modo doctus, conscientiosus & laboriosus Informator, qui praecepta brevia & universalia proponat, & quidem, quod caput rei est, non a praeceptis, sed ab ipsa lingua faciat initium.

(xx) Experientia sane id ipsum abunde docuit, ex hac Edzardiana schola prodiisse quam plurimos doctores & Professores Igg. OO. in omnibus fere Germaniae Academiis celeberrimos, ut tanquam singulare Dei beneficium ducendum sit, quod hac ratione Hebraea potissimum lingua, quae multis retro annis metu jactatae difficultatis jacuit, hac nostra aetate rursus coeperit efflorescere.

XVIII.

Præter cognitionem linguae una cum verbis (yy) res ipsae historicae, Theologicae &c. apprehenduntur, quibus sane imprimis Studioso Theologiae nihil (zz) utilius, nihil magis necessarium cogitari potest.

(yy) Nota est peculiaris Studioforum cura, ut sibi *realia* acquirant, in concionibus usurpanda. Hinc faciunt locos communes, colligunt exempla, testimonia, & quod illi optimum putant, varia emblemata & historias. Scilicet haec sunt *realia*, quibus ex ipsorum mente exornata concio saepe præter *verbalia* nil habet. Ex Bibliis *realia* vera petenda sunt, haec legenda, haec tractanda cum assidua devotione, tunc *realia* non deerunt.

(zz) Sic quod in pueritia neglectum (v. supra Th. II.) hac ratione compensari quodammodo potest. Sed quicquid sit, sub ista lectione multa nobis antea incognita retineri nemo nunquam negabit.

XIX.

Hæc unica etiam ad Theologiam (aaa) Exegeti-
cam

cam patet via; si quidem (bbb) accurate cognoscenda ac tradenda sit.

(aaa) Plurimi commentariis freti manum operi admove- vere nolunt, seipfos quam maxime fallentes: Commentario enim errante & ipsi errant, easque interdum assumunt opi- niones, quæ maximo possunt esse olim detrimento, non sibi solum, sed iis etiam, qui in eorum disciplinam traduntur; ut proinde non alia supersit via, quam ut laborem aggrediamur, Biblia explicare sensumque genuinum inde eruere discamus. Quam sententiam optime confirmat, Trostius in Præfatione ad Grammaticam Ebræam hisce verbis: *Qui vero dependent a solis versionibus utut accuratissime confectis, illi sensum verbi Divini, prout ex authentico ore Auctoris Domini prodit, non considerant, sed tantum considerant verbi Domini sensum, prout illum ex illo ipso verbo authentico Domini elicere & judicare conatus fuit hic vel alius autor, hominum conditionibus eque obnoxiius atque ceteri cuncti homines sunt obnoxii.*

(bbb) Scripturam absque fontibus sacris utiliter & salutariter posse explicari ex multorum quidem Patrum aliorumque exemplis satis patet, sed certa explicationum suarum fundamenta ex ipso textu ostendere propriumque verborum sensum a nemine nisi linguarum perito expectes.

XX.

In *positiva* vero & *Polemica* Theologia lectionis istius Biblicæ incomparabilis usus deprehenditur: Nemo enim absque illa nervum probandi ac (ccc) emphasin verborum introspicere, nemo adversarios ad scripturam perpetuo nobiscum provocantes (ddd) solide potest refellere.

(ccc) Omnes quidem veritates divinæ ex versionibus quatenus cum fontibus conspirant, etiam cognosci possunt, quantum ad salutem sufficit: Verum tantam certitudinem tam accuratam & exquisitam thesauri notitiam ac demon-



strationem, quanta quidem Theologus instructus sit oportet, ex versione nunquam adipisceris.

(ddd) Nihil usitatus, quam ut suam nobis falsam interpretationem adversarii obtrudant. Quomodo ergo eam refellet is, qui nec πρῶτον ψευδῶς in versione mala vel male accepta, observare potest? Constant. L' Empereur de utilitate & necessitate. Hebr. lingua. Ac profecto sole meridiano hoc est clarius, ac tot illustribus exemplis facile probari potest. Qui quaeso Chemnitius, qui Lutherus, qui alii stare potuissent contra tantos adversariorum impetus, nisi hisce fontium divinarum praesidiis fuissent circumsepti?

XXI.

Varia sub ista lectione, si quidem in timore Domini attente peragatur, egregia, quae subinde in quovis libro occurrunt, dicta in pectus ac memoriam altius descendunt, varia succurrunt meditationes, discrepantia versionis vernaculae a textu ipso, plerumque longe ἐμφατικώτερα facile animadvertitur, quae omnia sane ad (eee) Homileticam apprime faciunt, ut ceteras taceam utilitates.

(eee) Profecto non aliunde est, quod studiosi elaboraturi concionem tam inopes, tam pauperes deprehendantur, quam quod studium hoc Biblicum adeo neglexerunt. Hinc totam undecunque suppellectilem corradere debent, cum is, qui fontes legere potest ac intelligere tantam infortiorum argumentorum multitudinem habet, ut una hora eis enarrandis haud sufficiat.

XXII.

Denique semper memor sis, omnes ejusmodi labores atque operas, quae circa litteram tantum scripturae versantur, steriles atque (fff) inanes esse, nisi spiritu Domini accedente omnis ista cognitio in pectore

tuo

quo vivificetur, quod tamen cathedræ Theologicæ resignamus.

(fff) Hinc illud: *ἐν ἀνέγνωρι* nonne legistis? a Christo toties Phariseis objectum Matth. XII. 3. 5. c. XIX. 4. c. XXI. 16. XXII. 31. Pharisei sane & Scribæ toties totiesque legem perlegerant, infidebant de facto cathedræ Mosis, docentes legem Rom. II. 17. 20. ac disputantes acriter de variis subtilibusque legis quæstionibus I. Tim. I. 4. VI. 3. 4. 5. Nihilominus quia scilicet absque interna praxi & applicatione illud fecerant, idem erat, ac si non legissent. Hinc videre est, quod Scripturæ S. Studium, nisi cum sincera omnium voluptatum honorumque abnegatione jungatur, nil nisi Phariseos & Scribas ad regnum cælorum ineptos efficiat.

Corollaria.

I. Scitum est nec minus verum, quam tritum Ebraeorum in capitulis Patrum proverbium: *Prepara Te in vestibulo, ut possis ingredi triclinium.* Scilicet proletaria saltem & vix criobularis linguarum Orientalium cognitio minime Theologiæ operam navaturo sufficit, sed solidum prius fundamentum in iis jaciatur oportet, qui eo facilius deinde ad Theologiam progredi voluerit.

II. *Sacris litteris*, recte ait J. Drusius, *intelligendis enarrandis non tam piscibus aqua, quam Theologiæ necessaria est S. Linguae cognitio.*

III. Turpe sane est in scholis & Academiis Christianorum, scripta Ethnicorum præferri longe & anteponi sacrarum litterarum tractationi. Vid. *Franzius* de modo legendi Biblia S.

IV. Fontes mirum quantum præferendi sunt versionibus. Versio enim saltem umbra est ejus linguæ, quæ transfertur, quippe quæ, ut in pictura, quæ umbras imitatur corporum, obscurius aliquanto reddit sententias.

V. Lectio

V. Lectio Hebraei codicis anteponenda est studiis Philosophicis, adeoque prius & diligentius tractanda.

VI. Lectio publica apud Judæos & Christianos haud immerito audit cursoria.

VII. Judæi tum in scriptis, tum in usu hodierno præter synagogas Gymnasia seu scholas habebant, quas in duas classes distinguere solebant, alteram בית אלמנה Domum doctrinæ, qua legendo & exponendo tempus terebant, alteram בית המדרש Domum explicationis, qua ad uberiores pergebant tractationem, nominantes. *Hornbekius* de scholis Theologicis.

VIII. Judaicæ sunt & ad ipsorum hypothesin non malæ admonitiones hisce verbis comprehensæ: Filius quinque annorum ad Biblia, Filius decem annorum ad Mischna, Filius tredecim annorum ad præcepta, Filius quindecim annorum ad Thalmud: cum apud nos multi dicant: Barbatus juvenis 25 annorum jam ad legenda Biblia accedit.

IX. Sex horæ ad minimum per diem impendendæ sunt lectioni codicis, si fructum exinde evidentem haurire velis.

X. Non est Theologi alienis oculis videre, i. e. commentariis fretum esse: Ipse oculatus sit oportet. Ut enim sine luce colorum discrimina cerni nequeunt: Ita sine cognitione linguarum orientalium genus dicendi in Veteri & Novo Testamento nequaquam cognosci poterit.

XI. Omnis lectio vel in cortice hæret, vel ipsum Scripturæ nucleum appetit. Illa sine hac vana & insana, cum hac autem conjuncta solidum reddit Theologiæ studium.

XII. Cum Studiosus Theologiæ nulla re magis quam Bibliis in munere Ecclesiastico aliquando opus habeat, nil sane magis necessarium est, quam iis tractandis ut plurimum quoque tempus in Academiis impendat.

Erratum. p. 16 l. pen. leg. destinanda est. Reliqua B. L. d. corrigat.

72 Mit.

07 A 6670

ULB Halle 3
 003 108 295



Sb.


VD 18

Vf 17

VD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

56

... B. V.
 DE
 E FONTIUM
appellatur
 O R I A
 riorum consensu
 E S E S
 RIBBECHOV,
 PONDENS
 HENR. JACOBS,
 hani,
disputabunt
 M DC XCIX.
 N Æ,
 LERIANIS.

191

